



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. I. Quæ sit causa finalis gratiæ habitualis, seu nostræ iustificationis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

LIBER OCTAVVS

DE CAVSIS HABITVALIS GRATIAE, TOTATAQVE IUSTIFICATIONIS

MVTATIONE, AC ORDINE ipsius.

1. Materia huius libri.

De causa formali.

IN duobus precedentibus libris essentia, & naturā habitualis gratiae declarauimus simul cum effectu formali eius, sine quo non potest essentia vniuersalisque forma exakte intelligi, ideoque consequenti ordine sequitur, vt de causis eiusdem gratiae dicamus. Quas in ordine ad iustificationem nos docuit Concilium Tridentinum sess. 6. ca. 7. ideoque inter eas etiam iustitiam, vt formalem causam numerauit. Nos vero de his causis tam respectu ipsius gratiae, seu iustitiae, quam respectu formalis effectus eius tractamus, & ideo nihil est amplius, quod de causa formali dicamus, est enim gratia, & iustitia quaedam animae forma, quae aliam formalem causā propriam, & (vt ita dicam) physicam habere non potest quod addo in primis, quia secundum quandam morem, & metaphoricum modum inter ipsos habitus gratiae, vnus dicitur forma alterius, vt charitas dicitur forma fidei, & aliarum virtutum, & ipsa gratia dicitur forma charitatis. Sed haec locutio in precedentibus libris explicata sufficiens est, & iterum in libro vltimo tractando de merito attingetur, & de charitate in propria materia solet latius tractari.

2. De exemplarica causa.

Deinde illud additum est propter causam exemplarem, quae quodam modo solet formalis appellari quamuis re vera magis ad efficiētem pertineat, quomodo enimque autem appelleretur, non est, quod circa illam immoremur. Nam diuina gratia non habet aliam causam exemplarem, nisi vel diuinam essentia, cuius est participatio, vel propriam ideam, quam in Deo habet, de priori autem ratione, & quomodo gratia sit participatio diuinæ naturae, satis in precedentibus libris dictum est. De posteriori autē modo, seu de idea gratiae, nihil hic speciale dicendum occurrit, quod ad generalem doctrinam de ideis non spectet. Preter haec vero, gratia, prout est in nobis, habet suo modo causam exemplarem in Christi Domini humanitate, cui per gratiam cōformes efficiuntur, teste Paulo ad Rom. 8. Sed neq; de hac causa peculiaris disputatio necessaria est, quia res est clara, satisq; disputata in tom. 1. 3. partis dispu. 5. sect. 2. & in q. 24. D. Tho. art. 3. cum commentario. Et videri potest Vega lib. 7. in Trident. cap. 19.

3. De triplici causa agentium.

Omissa ergo causa formali de aliis tribus finali, & efficiente, & materiali dicendum est, & quia dispositio ad formam ad materiam causam reuocatur, & eius cognitio in hac materia maxime necessaria est, de illa praecipue dicemus. Vnde consequenter in huius libri discursu doctrinam de prima iustificatione complebimus. Diximus enim supra iustificationem duobus modis accipi, scilicet, vel pro effectu formali iustitiae, de quo iam tractauimus, vel pro mutatione ad ipsam iustitiam, de qua in praesenti libro dicendum est. Tum quia causae vniuersalesque formae in eius productione praecipue operantur, tum maxime, quia dispositiones ad iustitiam ad illius infusionem, ac sub-

pars 3.

inde ad mutationem hominis ab iniustitia ad iustitiam requiruntur, ideoque has dispositiones declarando, totam hanc mutationem, & ordinem eius explicabimus.

CAPVT I.

Quae sit causa finalis gratiae habitualis, seu nostrae iustificationis?

TRes causas finales nostrae iustificationis docuit Concilium Trident. dicta sess. 6. c. 7. dicens. *Huius iustificationis causa sunt, finalis quidem gloria Dei, & Christi, ac vita aeterna.* In quibus verbis Concilium de iustificatione loquens, idem censet de ipsa iustitia, & de tota gratia habituali, imo idē dici potest de tota gratia actuali, vt ex declaratione illarum trium causarum constabit. Vt autem earum numerus sufficiens inueniatur, aduertere oportet, Concilium tantū fines remotos, & extrinsecos totius gratiae numerasse, quia si qui sunt alii fines proximi, vel intrinseci intra latitudinem donorum continentur. Sic enim, vt notauit Alenf. 4. p. q. 8. mēb. 5. art. 1. ad vlt. iustificatio ipsa formalis considerari potest vt finis intrinsecus gratiae habitualis, omnis enim forma est propter suum formalem effectum, sicut anima est propter viuificandum corpus. Sed de hoc fine iam à nobis dictum est. Concilium autem non distinxit illum, quia ipsiusmet iustificationis causas designauit. Sic ergo tantum illae tres causae finales gratiae inueniuntur, quas breuiter explicauimus.

Primo ergo loco inter hos fines ponitur gloria Dei & merito, quoniam est omnium vltimus, & supremus. Et in primis conuenit gratiae illa generali ratione, qua omnia propter semetipsum operatus est Dominus. Pro. 16. & finis iustificationis. *qua omnia dicuntur, Esse ex ipso, & per ipsum, & in ipso.* ad Rom. 11. vnde concludit Paulus, *Ipsi gloria in secula.* Secundo etiam speciali ratione, qua opera gratiae, & praecipue hominum sanctificatio dicitur esse propter gloriam Dei iuxta illud Isa. 43. *Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meā creauimus, formauimus eum, & fecimus eum.* Et sapientius Paulus ad Ephes. 1. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum, &c. in laudem gloriae gratiae suae, vbi ipsa adoptio, quae per gratiam nobis confertur, dicitur prædestinata in laudem gloriae gratiae suae, id est (ait Ambrosius) vt salus nostra gloria Dei sit, & ad laudem claritatis eius proficeret gratia data hominibus.* Vnde quod ait, *in laudem gloriae,* exponi potest in magnā, & gloriosam manifestationem gratiae suae, vel potius in laudem, gloriosae gratiae suae, id est, in laudem quam meretur propter magnam gratiam, quam nobis conferre decreuit. Et iterū infra. *Prædestinati, &c. vt simus in laudem gloriae eius.* Et iterū. *Signati spiritu promissionis, sancto in laudem gloriae ipsius.* Vbi optime Chrysostomus inquit. *Hoc ponit assidue. Quanam de causa? vt quod satis sit ad faciendam fidem auditoribus.* Quod optime prosequitur adducens alia Scripturae testimonia, in quibus dicitur

Q 3

Deus

Deus facere opera gratiæ propter nomen suum Psal. 108. It. 48. *Propter me, propter me faciam*, & similia sunt multa in Scriptura.

3.
Ratio.

Ratione potest hæc veritas in hunc modum declarari, quia duobus modis dicitur Deus agere omnia propter se ipsum. primo, quia intendit aliis communicare bonitatem suam, nam quia est summe bonus naturaliter appetit communicare se ipsum, & ideo quando aliquid extra se agit, intendit veluti explere hunc bonitatis suæ appetitum, non ut inde perficiatur, sed ut id, quod deest suam bonitatem, faciat. Secundo dicitur Deus, agere propter se, quatenus propter gloriam suam operatur. Hæc autem duo singulari modo, & excellentia in opere iustificationis inveniuntur. Nam in primis gratia est singularis, excellensque participatio diuinæ naturæ, cui connaturalis est visio Dei in seipso, & ideo inter communicationes pure creatas est summa communicatio bonitatis diuinæ ad creaturam, ac proinde in gratiæ productione maxime Deus operatur propter suam bonitatem communicandam. Deinde gloria Dei, quæ extra ipsum est, consistit in clara, & publicâ eius notitia cum laude, hæc est generalis ratio gratiæ propriæ sumptæ iuxta generalem descriptionem gratiæ propriæ sumptæ traditam à Cicer. Aristot. Aug. D. Thom. & aliis, quod gloria sit clara cum laude notitia. Hæc vero gloria maxime redundat in Deum ex gratiæ suæ communicatione, & ex operibus, quæ illam consequuntur.

Cicero de Inuent. A. rist. 1. Rhetor. c. 5.

Aug. lib. 83. Quest. q. 31.

Et tractat.

100. in 102.

D. Thom.

1.2. q. 2. ar. 1.

3. & 2. 2. q.

132. art. 1.

4.

A. descriptio

negloria

ratio dedu-

citur.

Accedit laus

notitia.

Primo quia hæc Dei gloria propriæ, & formaliter in solis, & à solis creaturis rationalibus, seu intellectualibus tribuitur, & tanto est magis propria, quanto notitia Dei maior est, & melior, at vero communicatio Dei per gratiam, & est propria intellectualis creaturæ, & per illam Dei bonitas, & maiestas maxime notificatur hominibus. Propter quod merito dixit Aug. tract. 100. in Ioan. veram Dei gloriam solum in Ecclesia catholica inueniri, quia nimirum sicut in illa sola est vera sanctitas, ita in sola illa vera Dei notitia inuenitur, ergo ex hac parte communicatio gratiæ maxime cedit in gloriam Dei, ergo hic est maxime proprius finis eius. Aliunde vero, ut gloria sit vera, necesse est, ut ad veram notitiam vera etiâ laus accedat, est enim gloria (ut dixi) notitia cum laude, at vero gratia cum Dei notitia maxime habet coniunctam laudem iuxta illud Pauli 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*. Vbi Ambrosius. *In gloriam Dei aliquid sit, cum in actibus, & conuersatione Christiani Deus laudatur*. Tum maxime quia gratia omne verum bonum Deo tribuit, & ab ipso esse recognoscit. Vnde August. tract. 82. in Ioan. exponens verba Christi c. 15. *In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum plurimum asseratis*. Ed adiungens verba Pauli Rom. 4. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*, inquit. *Hæc est ad Deum gloria, quia glorificatur non homo, sed Deus si non ex operibus, sed ex fide iustificatur, ut ex Deo illi sit quod etiam bene operatur*. Et ideo etiam Ambrosius lib. 2. in Lucam, significauit, tunc hominem omnia in gloriam Dei facere, cum intelligit, quia, ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit edificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino. Est ergo hoc proprium, & singulare gratiæ, ut non solum sit maximum Dei donum, sed etiam, ut per suam virtutem, & actus faciat recognoscere suum auctorem, & faciat facere opera, ex quibus maxime laudatur Deus, & ideo maxime propria, & speciali ratione dicitur dari propter gloriam Dei. Et ideo de luce gratiæ, & operibus eius dicit CHRISTVS Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in celis est*.

5. Circa secundam causam à Concilio positam, quæ Glor. Christi est Christus Dominus, seu gloria Christi, nonnulla sunt. d. est. d. dixi in tom. 3. partis disputatione 5. sect. 3. ubi variis

Scripturæ, & Patrum testimoniis hanc veritatem confirmari. Et plures congruentes rationes ex Scripturis petitas ad idem suadendum adduxit Andreas Vega lib. 7. in Tridentin. cap. 20. Et omnes videtur mihi comprehendisse Ambrosius ad Ephes. 1. ubi circa illa verba. *In quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ in redemptionem acquisitionis in laudem gloriæ ipsius*, sic inquit. *Laus gloria Dei est, cum multi acquiruntur ad fidem, sicut gloria medicis est si multos curet*. Ideoque ad gloriam Dei pertinet, quod gentes vocauit, ut salutis suæ medicam consequerentur per fidem promissam Iudeis. Vbi licet Ambrosius de Deo loquatur, sententia tamen ipsa propriissime conuenit in Christum, qui est summus animarum medicus, & ideo plurimum salus maxima ipsius est gloria. Nec enim dici potest resultare quidem hanc Christi gloriam ex animarum sanctificatione, non tamen esse à Deo intentam, ac proinde non esse finem gratiæ, quæ nobis datur, sed quasi proprietatem resultantem. Sicut etiam homini studioso sequitur gloria ex actibus virtutis, non est tamen finis ab eo intentus. Hoc inquam dici non potest, primo quia repugnat eisdem verbis Apostoli: nam cum dicit, *In quo signati estis*, Christum refert, propter cuius meritum in Spiritu Sancto iustificamur, ut ex toto contextu à principio epistolæ manifestum est. Vnde cum addit, *in laudem gloriæ ipsius*, per relatiuum, *ipsius*, eundem Christum Dominum refert, & particula, *in*, aperte denotat causam finalem ergo gloria CHRISTI est à DEO intentata, tanquam finis gratiæ, & sanctificationis, quam in nobis efficit.

Secundo quamuis ex nostra sanctificatione per Christum gloria in eum, etiam ut hominem, reduci debet, nihilominus hæc consecutio non est præter intentionem Dei. Imo per se maxime consentaneum redditur, ut est diuinæ providentiæ, ut hunc etiam finem Deus intendat, ergo gratia ipsa, ut à Deo fit, sicut per Christum datur in ratione causæ meritorie, ita datur propter gloriam eius, tanquam propter quendam finem. Antecedens probatur, quia, supposita voluntate, quæ Deus habuit exaltandi in Christo humanam naturam, eam sibi in vnitatem personæ vniendo, & per eum ceteros homines sanctificando, consequenter decuit ut voluerit gloriam sanctificationis hominum cum Christo communicare, ergo ex intentione Dei est, ut hominum sanctificatio in gloriam Christi cedat. Est ergo gloria Christi finis gratiæ, per quam homines sanctificantur. Præterea hæc gloria debita est Christo multis titulis, primum ratione filiationis naturalis, deinde propter meritum infinitum operum, ac passionis, & mortis eius, demum propter singularia beneficia hominibus collata, & maxime quia omnium est sanctificator, & redemptor. Ergo cum Deus iustificat, & sapientissime omnia instituat, sine dubio voluit, & intendit, ut omnis hominum sanctificatio in gloriam Christi fiat: & ad hanc Christi gloriam pertinet illa promissio per Iaiam facta cap. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu eius dirigitur*. Et iterum, *In scientia sua iustificabit servus meus multos*. Et infra. *Idcirco disperdiam ei plurimos, & fortium dividam spolia*. pro eo, quod tradidit in mortem animam suam. Hæc enim non promitterentur Christo, quasi in præmium laborum, nisi ad gloriam eius pertinerent. Vnde ipsemet Dominus Ioan. 5. de se dixit. *Pater omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificent filium sicut honorificant Patrem*. Et Paulus ad Ephesios primo dicit, *Deum dedisse Christo, ut sit caput super omnem Ecclesiam*. Et ad Rom. 8. dicit, *Deum prædestinasse homines conformes fieri imaginis filii sui*, & addit. *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*, quod sine dubio conuenit Christo, ut homo est pertinetque ad gloriam eius, hæc ergo etiam intendit Deus in prædestinatione sua, quæ per iustificationem exequitur. Denique argumentor in hunc modum, quia omnis

Confirmatur ratione.

omnis finis, quem nos sancte, & iuste per nostra opera intendimus, est etiam à Deo intentus, & ordinatus, sed nos per nostram sanctificationem gloriam Christi honestissime intendimus, ergo etiam Deus illam intendit. Maior probatur, tum quia Deus est auctor omnium bonarum actionum, quatenus bonæ sunt, & ita est etiam auctor omnium bonarum intentionum, intendit ergo illas, & consequenter fines earum, tum etiam quia non solum nobiscum operatur, cum propter bonum finem operamur, sed etiam facit nos ita operari, ergo multo magis ipse intendit finem, quem facit nos intendere. Minor etiam certissima est, nam & gratitudinis, religionis, & charitatis ratio nos ad querendam Christi gloriam inducit. Et fortasse ideo Paulus, secundo Corinth. quarto, legem gratiæ vocat *Evangelium gloriæ Christi*, quia tota illius prædicatio, & actio ad illius gloriam ordinatur.

7. Eterna vita certius finis.

Tertia causa finalis à Concilio posita est vita æterna. Quæ est certissima veritas, quia gratia natura sua est *fons aque salientis in vitam æternam* Ioan. 4. Vnde hic finis est maxime proprius, & connaturalis, & quasi intrinsecus gratiæ: sicut enim rationalis naturæ finis intrinsecus est naturalis beatitudo eius, ita intrinsecus finis gratiæ est vita æterna, seu beatitudo naturalis, quæ in clara Dei visione consistit, ut in superioribus libris explicando qualiter gratiæ, & naturæ, ac formalem effectum eius, fuisse declaratum est. Hic solum advertere oportet, sub gratia habituali plures habitus comprehendere, quorum singuli proprios habent fines proximos, propter quos immediate infunduntur, licet respectu omnium vita æterna sit finis communis, & in suo genere ultimus. Hoc patet, quia omnes habitus gratiæ præter illum, qui est in essentia animæ, sunt principia proxima operandi. Vnde unusquisque illorum est propter suam operationem. Finis enim habitus fidei est actus credendi, & habitus charitatis actus diligendi, & sic de cæteris, quia vero omnes hi actus sunt media ad vitam æternam consequendam, ideo etiam omnis habitus gratiæ ad vitam æternam, tanquam ad finem ultimum, ordinatur.

Notabile.

8. Discrimen luminis gloriæ habitus, & virtutis.

Atque hinc potest differentia notari inter habitus viæ, & lumen gloriæ, quod est propria virtus intellectualis patriæ, nam habitus viæ sunt propter vitam æternam tantum mediate, at vero lumen gloriæ etiam immediate, quia cum sit proxime propter suam operationem, eius tamen operatio est ipsa vita æterna substantialis, ac essentialis, & ita respectu luminis gloriæ finis proximus, & ultimus ipsius coincidunt: idemque est ultimus finis totius gratiæ, quam perfectionem aliquo modo participat charitatis habitus, quatenus eius actus, licet in via exerceri possit, manet etiam in vita æterna, & ad substantiam eius suo modo pertinet. Vnde fieri videtur, ut respectu illius specialis habitus gratiæ, qui est in essentia animæ, vita æterna solum sit finis ultimus, & mediatæ, quia non, nisi mediis habitibus operariis, in illum tendit, ipsumque consequitur. Nihilominus tamen quatenus hæc gratia est quasi principalis natura, quæ ad illum finem tendit, & cui ratione sue perfectionis debentur virtutes, quibus ille finis comparatur, & attingitur, ideo etiam respectu talis gratiæ vita æterna est, & finis ultimus, in quo quiescit, & suo modo immediatus, cui per se, ac proxime coniungitur: præcipue si verum est, gratiam in omnes actus divini ordinis, tanquam principale principium per se influere.

9. Triplex gratia finis eius domus ad præparatam facile potest.

Tandem quæ de his tribus finibus gratiæ diximus, facile possunt ad omnia dona gratiæ applicari, ut ita non solum causa finalis gratiæ, seu iustitiæ habitualis, sed etiam actualis, & omnium donorum gratiæ obiter explicata sit. Omnia enim gratiæ auxilia, & actus eorum Dei gloriam, ut finem principalem, & ultimum respiciunt, ut per se notum est. Secunda-

rio vero, & non ultime omnia referunt ad Christi honorem, & gloriam: nam sicut ipse est omnium auctor in genere principalis causæ meritorie, ita etiam est omnium finis sub Deo. Denique omnia propter vitam æternam consequendam tribuuntur, ut per se notum est, & ita vita æterna totius gratiæ tam actualis, quam habitualis causa finalis ultima existit. Ultra hoc vero (quod notandum est) inter ipsas gratias causalitatis finalis inveniuntur, & inter aliquas est aliquando reciproca, licet sub diuersis rationibus, vel in ordine ad diuersa, quod breuiter sic declaro, quia ad meliorem intelligentiam tertiæ partis, seu causæ à Concilio propositæ conferet. Primo ergo auxilia gratiæ, quæ non sunt proprii actus humani, sed vel concursus, vel motus excitantis gratiæ ad actus ipsos supernaturales, & humanos, tanquam ad proximos fines, referuntur, & mediantibus illis respiciunt iustificationem ipsam, & alios effectus eius usque ad glorificationem, & sic intelligitur illud Pauli ad Romanos 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, quos vocavit, hos & iustificavit, & quos iustificavit, illos & glorificavit.* At vero actus proprii humani, & infusi, licet sint fines proximi habituum, ut dictum est, nihilominus ad ipsos etiam habitus, ut ad fines proximos ordinantur, quia vel antecedunt gratiam habitualement, & propter illius infusionem dantur, vel sequuntur illam, & ad eius augmentum, ut ad finem, referuntur. Et ita habitus, & actus mutuo sunt sibi fines, sub diuersis tamen modis, seu rationibus, seu conferendo diuersos actus cum diuersis statibus habituum, ut declaratum est. Quamvis alia etiam ratione possit hæc reciproca habitudo considerari, iuxta vulgarem distinctionem finis in finem, cui, vel, *Cuius gratia*: sic enim potentia est propter operationem, cuius gratia conferetur, & operatio est propter potentiam, cui adheret, & quam actuat. Et ad hunc modum licet gratia sit propter vitam æternam, id est, propter visionem beatam, ut propter finem, cuius acquirendi gratia infunditur, nihilominus est finis, *cui*, respectu vitæ æternæ, quia vita æterna datur homini grato ad beatificandum illum, unde est quasi consummatio gratiæ quoad statum eius, & ita gratiam ipsam, vel hominem, ut illa affectum, tanquam finem, *cui*, respicit.

Atque hæc videntur de hac causa finali sufficere, quia disputare de his finibus secundum se spectatis ad alia loca Theologiæ pertinet, nimirum, de fine gloriæ Dei ad primam partem quæst. 44. de fine gloriæ Christi ad 3. partem quæst. 1. artic. 3. & quæst. 24. artic. 1. & 2. de fine vitæ æternæ ad primam partem quæst. 12. & 1. quæst. 3. Neque hic occurrunt proprie difficultates alicuius momenti. Solum de gloria Dei libet breuem difficultatem ad maiorem materiæ declarationem exponere. Et in primis dubitari potest, quomodo vere, & proprie dicatur gloria Dei esse causa finalis gratiæ, seu iustificationis. Et ratio dubitandi esse potest, quia gloria Dei est aliquid distinctum ab ipso Deo, ergo non potest ab ipso Deo, ut finis, intendi. Antecedens patet, quia gloria Dei idem est, quod fama, seu notitia sui, quam Deus apud alios habet cum laude coniunctam, & consequenter est aliquid creatum denominans extrinsece Deum, est ergo aliquid distinctum à Deo. Consequentia vero prior probatur, tum quia Deus non operatur, ut aliquid sibi acquirat, si autem communicando hominibus gratiam, gloriam sibi consequi intenderet, iam propter aliquid sibi acquirendum operaretur, quod est absurdum, quia Deus bonis nostris non indiget: tum etiam quia alias Deus non faceret omnia propter semetipsum, quandoquidem gratiam confert propter aliquid à se distinctum. Secundo augeatur difficultas circa gloriam Christi, nam gloria Christi, ut hominis, multo magis est extrinseca Deo, quam propria gloria, ergo non potest illam intendere, ut finem in iustificatione hominum, quia non

10. Causa finalis expeditio remittitur alio.

Dubium cū duplici ratione dubitandi.

non potest aliquid velle propter rationem extrinsecam, sed tantum propter bonitatem suam, ergo gloria Christi non potest esse causa finalis gratiae. Probatur consequentia, quia gratia non postulat naturam suam talem causam finalem, sed nec illam habet ex intentione, & ordinatione Dei, ut probat ratio facta, ergo non est, unde illam habeat, cum gratia sit proprius effectus solius Dei.

11. *Solutio du- by.* Ad primum facilis est responsio, si attendamus ad distinctionem finis, cuius, & cui, & ad subdiuisionem finis, cuius, in formalem, & obiectiuum, vel, ut alii loquuntur in finem, qui, & quo, seu in ademptionem, & rem adeptam. Haec namque rationes finium in Deo, ut communicante per gratiam naturam suam, & bonitatem, inueniuntur, & seclusis imperfectionibus spectandae sunt. Deus enim, etiam respectu suarum actionum, est finis quasi obiectiuus, cuius gratia Deus operatur, & ideo necesse est, ut ibi etiam interueniat aliquid per modum finis formalis, & quasi ademptionis, quae sit aliquid extra Deum, quia non potest Deus rationem finis exercere, nisi in ordine ad aliquam actionem ad extra, & in vniuersum non potest finis, qui, à fine, quo, in affectione separari. Dixi autem excludendas esse imperfectiones, quia Deus non operatur propter se, ut sibi aliquam perfectionem acquirat, sed potius, ut suam perfectionem aliis communicet, & ideo respectu illius non habet locum finis, ut adeptio, si nomine ademptionis consecutio alicuius perfectionis, vel commoditatis intelligatur, latius vero sumpta ademptione pro quavis actione, vel operatione, per quam intentio finis expletur, sic optime Deo, ut operanti propter se, ut propter finem, adeptio finis attribuitur, respectu cuius Deus ipse est finis, qui, seu adeptus cum proportionem.

12. *Ratio. 1. dis- soluitur.* Sic ergo ad priorem difficultatem concedimus, gloriam Dei esse aliquid extra Deum, nam in vniuersum gloria proprie sumpta, & iuxta primam vocis significationem bonum extrinsecum est, respectu eius, cuius est gloria, ut iam supposuimus, etque vulgare apud omnes. Nihilominus tamen potest Deus gloriam suam intendere, ut finem, quia non intendit illam, ut finem qui, sed ut quo, quod non solum non repugnat, sed necessarium est, ut dixi. Declaratur hoc in propria materia, de qua tractamus: nam Deus per sanctificationem hominis intendit suam bonitatem excellenti quodam modo communicare, bonitas ergo eius, & natura infinita, ut communicabilis, & participabilis à creatura intellectuali modo est finis, quasi obiectiuus illius operationis, ipsa vero hominis sanctificatio est quasi adeptio, qua Deus assequitur, quod sub ea ratione intendit, nam per illam actionem fit, ut bonitas eius sit actu communicata modo excellenti à se intento. Rursus haec communicatio ulterius tendit ad manifestandam homini Dei bonitatem, ut per eam noticiam Deum glorificet, & laudet, sub qua etiam ratione Deus etiam est finis, qui, intentionis, utique tanquam obiectum manifestandum, laudandum, & glorificandum: ipsa vero noticia cum laude, quae est gloria, est veluti affectio, & adeptio illius finis. Et ita dum Deus communicat gratiam propter suam gloriam, propter se ipsum illam communicat, tanquam propter finem obiectiuum, & vltimum, licet simul necessario intendat aliquid extra se, ut consecutionem, vel ademptionem illius finis.

13. Neque inde fit, Deum dare homini gratiam, ut per gloriam quam eam aliquid sibi acquirat, quia illa gloria sui, quam Deus homini intendit, magis est bonum hominis, quam ipsius Dei. Nam, ut recte dixit Augustinus tractatu 58. in Ioan- magis bona nem. Nobis expedit illum nosse, non illi. Imo addit Diuus homini, Thomas. 2. 2. quæst. 132. art. 1. ad 1. quod Deus suam gloriam non querit propter se, sed propter nos, ubi Caietanus intelligit, particulam, propter, non denotare causam finalem, sed terminum utilitatis. Nam Deus (inquit) gloriam suam, & omnia vult propter se, tanquam finem o-

mnium, nos autem sumus, ad quorum utilitatem Deus querit suam gloriam. Addi vero potest, quod diuina gloria dupliciter considerari potest, primo, ut est in homine, & illum perficit, & sic pertinet ad bonum communi, seu vtili, & sic est propter hominem etiam sub aliqua ratione finis, nimirum, cui talis perfectio intenditur: alio modo spectatur illa gloria, ut habet habitudinem ad Deum, eumque denominat cognitum, & laudatum, & sic Deus ipse est finis non solum propter quem, sed etiam cui illa gloria procuratur. Unde aliqui gloriam hanc vocant bonum extrinsecum Dei, nam in hominibus gloria bonae famae inter bona, licet extrinseca, computatur. Neque intendere, vel acquirere tale bonum Deo repugnat, quia nullam mutationem in eo facit. Nihilominus melius dicitur tale bonum, respectu Dei solum esse bonum quoddam honestum, & decens Dei maiestatem, ut in relect. 1. insinuaui. Nam in hominibus istae denominationes extrinsecae nulla vera bona iure conferuntur, nisi essent vtilia, etiam ad intrinseca, quia ergo gloria hæc nullam utilitatem Deo affert, non potest proprie aliquid bonum eius conferri, est autem bonum per se honestum, & Deum decens, & ideo recte potest ab ipso intendi modo declarato. Sicut etiam communicatio bonitatis suae à Deo est per se intenta, non quia sibi sit aliquid bonum etiam extrinsecum, sed quia est quid decens, ac suae bonitati consentaneum. Unde etiam obiter intelligitur, ipsammet vitam æternam, quatenus in visione beata consistit, & esse gloriam Dei, & beatitudinem nostram, ac proinde eo ipso, quod vita æterna est causa finalis gratiae, etiam gloriam Dei esse causam finalem eiusdem gratiae. Imo licet vita æterna respectu nostri sit vltimus finis, tanquam adeptio finis vltimi obiectiui, nihilominus respectu Dei est referibilis in ulteriorem finem, quia beatitudinem nostram magis, ut gloriam Dei, quam ut bonum nostrum estimare debemus, nam eodem modo, & sub eadem ratione magis à Deo intenditur.

Atque hæc doctrina cum proportionem applicanda est ad alteram difficultatem de gloria Christi, seruanda tamen est differentia inter illam, & gloriam Dei. Nam gloria Dei non in alterum, quam in Deum ipsum referatur, gloria autem Christi referenda est in ipsius tantum Dei gloriam, ut sic omnia in Deum, tanquam in finem vltimum referantur. Atque hoc modo non repugnat, Deum extra se intendere aliquid, ut finem non suum, sed suorum effectuum. Neque etiam est verum, Deum nihil extra se velle propter bonitatem, vel rationem creatam, nam licet omnia velle vltimate propter suam bonitatem, proxime potest etiam velle creaturas propter bonitatem, vel rationem creatam, ut in dicta Relect. 1. probaui, & accurate, ac docte disputat nouus Egidius lib. 1. de Fine q. 14. art. 1. §. 4. Sic igitur voluit, & ordinavit gratiam conferre hominibus propter gloriam Christi, ut inde maior etiam gloria sibi accresceret, iuxta illud. 1. Corinth. 3. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus vero Dei.

CAPVT II.

Utrum gratia veram causam materiale habeat, & ideo per creationem non fiat.

POST finalem causam gratiae dicendum sequebatur de efficiente, tamen quia necessarium prius est explicare modum effectus eius, qui ex cognitione materialis pendet, quoniam hæc duo inter se connexa sunt, ideo illa in hoc capite declaranda præmittimus. Supponendo in primis id, quod per se clarum est, indigere gratiam aliqua efficiente causa, ac proinde habere illam, quia est quid creatum, ut supra ostensum est. Item quia est quid temporale, quod nunc est, & antea non erat, ergo necesse est, ut per aliquam